UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

160. An gratiis, & Indulgentiis Bullæ possit quis frui extra Regna, ubi Bulla non publicatur? Et an doctrina hujus Resolutionis extendatur ad esum carnium, & lacticiniorum; vel hoc indultum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76369

Visual Library

5. Ad præcipuum verò argumentum Patris Quintanadueñas, reſpondeo, quòd quamuis finis huius Diplomatis ſit ſubſidium Regis Catholici; tamen non eſt quocunque modo accipiendus, ſed determinato modo, nempe, pro eleemoſynis erogandis ab iis, qui in illis locis Bullam accipiunt: & de hac re nulla aſſignari poterit ratio, præter intentionem Pontificis volentis cum hac conditione Bullam concedere.

6. Notandum eſt hîc obiter, cùm ſermo inciderit de Bulla Cruciatæ, Patrem Quintanadueñas *tract.* 3. *ſingul.*18. docere ex pluribus rationibus, contra Eminentiſſimum Dominum meum de Lugo, Regulares poſſe abſolui virtute Cruciatæ à peccatis mortalibus non reſeruatis: vnde *numer.*14. ſic ait: [Sed ſi obiicis, ex relata ſententia ſequi, poſſe quemlibet Regularem abſolui virtute Cruciatæ ab omnibus iis peccatis, & cenſuris à quocunque Confeſſore ſæculari, vel Regulari approbato ab Ordinario loci, vel à Prælato Regulari ipſius pœnitentis, à quibus poteſt abſolui à Confeſſario deputato pro audiendis aliis Regularibus ſuæ domus: admitto, id ſequi, & teneri à viris doctis.] Ita ille. Sed opinionem Eminentiſſimi de Lugo defendit mordicus Pater Bardi *vbi ſuprà, c.* 5 *ſect.* 2. §. 4. *n.* 90. *& ſeq.* Ego autem vtramque ſententiam probabilem eſſe puto.

RESOL. CLX.

An gratiis & Indulgentiis Bullæ Cruciatæ poſſit quis frui extra Regna, vbi Bulla non publicatur?

Et an doctrina huius Reſolutionis extendatur ad eſum carnis, & lacticiniorum; vel hoc Indultum concedatur tantum commorantibus in Regnis Hiſpaniarum, & non extra? Ex parte 1. tract. 11. Reſolutione 1.

§. 1. RESpondeo affirmatiuè: & ita, accipiens Bullam in Sicilia, ſi poſteà Romam ſe transferat, poteſt ibi eligere Confeſſarium ad obtinendam abſolutionem à reſeruatis, & aliis cenſuris conceſſis in dicta Bulla, & frui aliis indultis Ita ex Rodriquez docuit Fernandez *in exam. Theol. mor p.* 3 *c.* 9. §. 2. *num.* 3. & Vegha *in ſum. tom.* 1. *c.* 43. *caſ.* 8. *& tom.* 2. *c.* 7. *caſ.* 17. *in fin. & tom.* 1. *c.* 14. *caſ.* 15.

2. Notandum eſt tamen, hanc doctrinam non extendi ad eſum carnium, & lacticiniorum: nam hoc indultum, vt apparet ex verbis Bullæ, conceditur tantum commorantibus in Regnis Hiſpaniarum, & non extra. Ita Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 27. *in tit. num* 3. *& diff.* 6. *n* 4 Henriquez *lib.* 1. *c.* 14. *n.* 1. *in Gloſſa, lit. D.* & alij communiter.

RESOL. CLXI.

An qui proficiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, vel Siciliæ, breui tamen reuerſurus, poſſit vti priuilegio Bullæ Cruciatæ circa eſum ouorum, & lacticiniorum?

Et difficultas eſt in hoc dubio, quinam dicatur ſtatim reuerſurus, vt illo medio tempore poſſit extra Regna Hiſpaniarum edere virtute Bullæ Cruciatæ oua, & lacticinia?

Et pro firmanda doctrina ſupradictæ quæſtionis quæritur, an Mediolanenſis in oppido vbi viget ius commune, poſſit veſci carnibus quatuor primis diebus Quadrageſimæ ex eo, quod Mediolani licet ex conſuetudine veſci carnibus his diebus?

Et docetur Caſtellanum per Luſitaniam tranſeuntem poſſe more ſuæ patriæ inteſtinis veſci diebus Sabbathi, quæ in Luſitania non permittuntur. Ex p. 5. tr. 14. & Miſc. 2. Reſ. 20.

§. 1. NEgatiuè videtur reſpondendum ex his, quæ ego adduxi *in part.* 1. *tract. de Bulla Cruciatæ, reſol.* 1. vbi firmaui ex textu ipſius Bullæ, priuilegium Bullæ circa eſum lacticiniorum eſſe locale; cùm clarè dicatur in dicta Bulla illam ſumentes non poſſe edere oua, & lacticinia extra Regna Hiſpaniarum, vt nouiſſimè etiam docet Trullenchus *in expoſitione Bullæ lib.* 1. §. 1. *dubium* 5. *numero* 4 vide etiam Molfeſium *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 59.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens, & quaſi per tranſitum in alia eius prima not.

2. Sed his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam docuit olim publicè in Collegio Panormitano Pater Bernardinus Piccinus, Societatis IESV, vir quidem doctiſſimus, de cuius tamen probabilitate ego dubitaui *in* 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 190. Nunc verò re maturiùs conſiderata, ad inſtantiam Illuſtriſſimi viri, puto hanc ſententiam probabilem eſſe, &, ſecluſo ſcandalo, tutam in praxi. Nam in iure ſtatim reuerſurus dicitur præſens, & abeſſe non dicitur, qui breuì eſt reuerſurus, vt patet *in l. poſtliminij*, §. *captiuus, & l. nihil ff. de captiuis, & poſtlimin. reuerſ.* ex *l.* 3. *ff. de diuort.* ex *cap. diuortium, de pœnit. diſtinct.* 1. cum aggregatis per Rebuffum, *de priuil. Schol. priuil.* 23. *per totum,* & per Gonzalez *in regul.* 8. *Cancell. gloſſ.* 43. *num.* 5. quod etiam clarè probatur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* vbi hæc verba habentur. Quoniam autem qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, ſacroſancta Synodus, &c. Cùm igitur in noſtro caſu, qui profiſcitur extra Regna Hiſpaniarum, breui ſit reuerſurus, non dicitur abſens, ſed moraliter præſens in dictis Regnis, ideo poteſt priuilegio Bullæ vti, oua edendo & lacticinia, ſecluſo ſcandalo. Facit etiam ad roborationem ſupradictorum id, quod colligitur ex *l. quæſitum*, §. *fin. ff. de leg.* 3. *& l. ſi ita, ff. eod. tit.* quòd qui breui tempore reſidet in loco, non dicitur moraliter in eo eſſe; quod etiam docet Baldellus *tom.* 1. *l.* 5. *diſp.* 32. *n.* 23.

Quæ nunc hanc ſequetur, & in t. 9. tract. 7. Reſ. 105. §. 1. propè fin. à verſ. Vnde ego.

3. Confirmatur etiam ſupradicta ſententia ex auctoritate Doctorum *vbi infrà*, & Thomæ Sanchez *de matr. tom.* 1. *l.* 3. *diſp.* 18. *num.* 7. vbi ponit hunc caſum. Mediolani licet ex conſuetudine veſci carnibus quatuor diebus Quadrageſimæ. Quæritur an Mediolanenſis in oppido, vbi viget ius commune, poſſit his diebus iuxta ſui domicilij vſum carnes edere, & non ieiunare? Et reſpondet affirmatiuè, quia, ait ille, licèt hoc priuilegium videatur locale, ſolóque cohærens, eſt vtique tale in hoc ſenſu, vt eo gaudeant, non tantùm ibi quoque modo exiſtentes; ſed etiam qui iure habentur pro præſentibus, ibíque exiſtentibus, quales ſunt, qui breui tempore abſunt citò reuerſuri, eo quòd illic domicilium habeant. Ita Sanchez, qui ex ſupradicta ratione à fortiori noſtram ſententiam doceret, quæ etiam confirmatur ex opinione Michaëlis de Palatio *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *diſput.* 8. *poſt.* 6. *concluſ. fol.* 126. *ver. At verò.* Fagundez *pr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 11. Medinæ *in* 1. 2. *quæſt.* 96 *art.* 5. *ad fin.* vbi docent, Caſtellanum per Luſitaniam tranſeuntem poſſe more ſuæ patriæ inteſtinis veſci diebus Sabbathi, quæ in Luſitania non permittuntur. Et hanc opinionem probabilem putat Layman. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 12. *n.* 3. & nouiſſimè Boſſius *de Iubilæo ſect.* 4. *caſ.* 18. *n.* 64.

Sup. hoc inf. in tr. 6 Reſ. 47. in princ. & in Reſ. 48 §. 1. in princ. & §. vlt.

Sup. hoc in Reſ. 1. not. præteritæ in fin. & in 2. in eiſdem §. & in tom. 6. tr. 2. Reſ. 21. in fine.

4. Sed adhuc manet difficultas in hoc dubio, quinam dicatur ſtatim, & breui reuerſurus, vt illo medio tempore poſſit extra Regna Hiſpaniarum edere virtute Cruciatæ oua, & lacticinia? Pater Piccinus *vbi ſuprà* in lectura manuſcripta Bullæ Cruciatæ §. 5. *num.* 77. putat in tali caſu licere veſci lacticiniis, qui intra ſemeſtre ſit in Hiſpaniam, vel Siciliam rediturus.

Sed

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN